Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26042
Copyright: Admont, Benediktinerstift

De passione Christi et effectibus suis.

Vos qui aliquando eratis longe, modo facti estis prope in sanguine Christi. In prolibatis verbis apostoli tria nobis consideranda occurrunt, scilicet causa, effectus et modus passionis Christi. De causa premittitur: Vos qui aliquando eratis longe. De effectu subiungitur: Modo facti estis prope. De modo subditur: In sanguine Christi. Hec tria sic notanda erunt. Primo ut quare passus sit Christus videamus. Secundo vero quid utilitatis morte sua nobis contulit discamus. Tercio ut qualiter et qua morte sit passus attendamus.

Causa quare passus sit Christus.

Causam itaque passionis Christi primo libet animadvertere. Gravis siquidem inimiciciarum discordia inter deum et hominem erat, quoniam homo peccando suum subtraxit et abstulit domino, quem decepit et subiecit diabolo. Cuius miserie condolens Christus, et videns hominem sua virtute iugum dampnationis huius evadere non posse, primo prevenit eum per misericordiam, ut deinde liberaret per iusticiam. Per misericordiam namque deus pater hominem preveniens, cum pro eius salute filium suum incarnari constituit. Per iusticiam vero hunc liberavit, cum in ligno crucis hominem per lignum deceptum salvavit. Et nunc fratres quia causam passionis Christi breviter perstrinximus, et effectum et circumstantias eiusdem pandere vestre karitati curabimus.

De effectibus passionis Christi.

Passio Christi a peccatis nos mundat. Unde apostolus ad Hebreos: Si sanguis hircorum aut vitulorum aut ci. vi. as. inqn. scif. ad emundationem carnis, quanto m. san. Christi q. per sp. s. sem. i. ob. im. do. emu. consc. n. ab o. m. ad ser. do. vi. Passio Christi redimit nos a servitute peccati. Unde ad Ephesios: In principio gratificavit nos deus pater in dilecto fi. s. in quo habemus re. per sa. ei. in re. peccatorum. Passio Christi redimit nos a pena eterna. Unde ad Romanos: Commendat autem suam karitatem deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores es. Christus pro n. m. e. m. m. iust. nunc in sang. ip. sal. e. ab ira per ip. Ab ira, id est a pena eterna. Passio Christi nos ditat, id est divites reddit. Unde ad Corinthios: Scitis gratiam d. n. I. X. quoniam cum di. esset pr. n. eg. f. e. ut illi. io. nos. di. ess. Passio Christi sanat nos a morbo peccatorum. Unde Ysaias: Vulneratus est propter scel. n. et liv. san. su. Malachias in fine: Vobis timentibus nomen meum orietur sol iusticie et sanitas in pennis eius, id est in brachiis extensis in cruce. Passio Christi armat contra hostem triplicem: carnem scilicet, mundum et diabolum. Unde in epistola Petri: Christo igitur in carne passo, et vos eadem cog. ar. Passio Christi revocat peccatores. Unde dominus in Ysaia: Revertere ad me, quoniam redemi te. Quasi diceret: Revertere, quia feci te, vel quia ditavi te, sed omnium bonorum post excellentissimum, scilicet passionem, hoc est quia redemi te. Passio Christi baptizat credentes. Unde ad Romanos: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Passio Christi excitat conpunctionem, conpassionem, devotionem, dilectionem et humilitatem. Unde in Ieremia: O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus. Passio Christi trahit credentes ad celum. Unde Iohannes: Ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum. Passio Christi premia reddit. Unde latroni penitenti dicitur: Hodie mecum eris in paradiso. Itaque dominus in fine dicturus est electis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum et ca.

Nunc itaque fratres, quia causam et effectum passionis Christi consideravimus, restat ut et modum et circumstantias passionis eiusdem sollicite considerantes imitemur apostolum qui ait ad Corinthios: Christus pro nobis mortuus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro eis mortuus est.

De modo seu qualitate passionis Christi et circumstantiis eiusdem.

Notandum quod Christus brachia extendit in cruce. Extensio brachiorum reconciliationem signat. Sicut cum aliquis amplectitur aliquem signum est amicicie, ita manus extendebat Christus in cruce, ut ad se venientes more dili